



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

VI. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Gigislenus cum vellet Ecclesiam B. V. Aquisgrani visitare, pecora sua, subulcus enim erat, Deip. commendavit; eoque in templo commorante Angelus ejus vices in pas-  
cendis pecoribus egit. *Bal. in Ep. Mar.* Curat  
nostra coelum, dum nos caelestia curamus.

B. Gigislene ora pro me, ut omnium nego-  
tiorum maximè præcipuum mihi sit cultus  
& veneratio MARIÆ, ne abeam post vestigia  
gregum meorum, id est, brutalium concu-  
pisceniarum, sed his inter rationis limites co-  
ercitis, sepositis aliis negotiis curem salutis  
meæ negotium. O Sanctissima DEI, & mea,  
Mater pretiosissima! ego N. indignissimus fi-  
lius tuus ex toto corde, omnibusque tam cor-  
poris, quàm animæ viribus centies millies, i-  
mò infinities te saluto: te omni possibili om-  
nium possibilium & actualium creaturarum  
affectu amare, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Quod hodie per  
urbem ituro templum Deip. occurrerit, illud  
Virginem B. Salutaturus ingrediar.

Maria obsecro te per gratiam, quia Domi-  
nus voluit esse tecum, fac misericordiam  
tuam mecum. Fac ut amor tui semper sit me-  
cum, & cura mei semper sit tecum. *S. Ans. in  
medit.*

Quæstio: An B. V. post Filii ascensionem,  
Virginum eodem in victu, in pietate alenda-  
rum, curam egerit? *v. Spinellum c. 37. n. 13.*